



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. VII. Vtrum aliqua gratia homini inhærens positivum iustificationis
effectum ex sua intrinseca natura formaliter ei conferat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

hæreticorum
responsio
confutatur.

catione, & ideo ab una ad aliam non bene argumen-
tari: nam sanctificatio, ut aiunt, est quid diuersum
à iustificatione, & posterior illa: prius enim Deus ho-
minem iustificat, & postea illum renouat, vel sibi
gratum reddit. Ducuntur tamen ex falsa apprehen-
sione, seu abusu verbi, iustificandi, quod solam libe-
rationem à peccato, vel pænæ reatu significet, cuius
oppositum à nobis ostensum est. Vnde ex dictis de
verbi, iustificandi, significatione satis probari potest
catholica veritas. Nam Deus non iustificat homi-
nem tantum absoluen-
do illum à peccato, & ita de-
clarando illum iustum, sed faciendo iustum per gra-
tiam suam, ut ex Paulo est probatum, ac facere ius-
tum quid positium est, ut ex terminis videtur eui-
dens, ergo iustificatio est, vel includit positium gra-
tiæ effectum, per quem homo fit iustus.

22.
Confirmatio.

Vnde confirmatur, nam licet daremus iustificandi
verbum semper sumi in illa significatione forensi, ni-
hilominus Deo attributum non posset non includere
prædictum effectum, vel illum supponere. Proba-
tur, quia iudicium Dei non potest esse mendax, neque
iniquum, ergo si eum, qui erat impius, iustificat, iu-
dicando iustum, necesse est, ut non solum dicat, sed
etiam dicendo faciat ex impio iustum, ut ex Augu-
stino retulimus: nam alias iniquum, & falsum iudi-
cium proferret, quod cogitari non potest. Et ideo
Paulus 1. Corinth. 4. cum dixisset, nihil mihi conscius
sum, sed non in hoc iustificatus sum, id est, iustus probatus,
ut hæretici exponendum contendunt, statim adiun-
git. Qui autem iudicat me, Dominus est, quasi dicat, si
autem Deus me suo iudicio iustificaret, vere essem
iustus, quia iudicium Dei falsum esse non potest, &
ideo quem iustificat, vel iustum supponit, vel facit.
Ideo 1. Io. 3. dicitur. Videte qualem charitatem dedit nobis
Pater, ut filii Dei nominemur, & simus. Quia ut sit vera
filiatio, non satis est nomen, nisi res subsistat. Nam, ut
ibi ait Augustinus tract. 4. Qui vocantur, & non sunt, quid
illis prodest nomen, ubi res non est?

23.
Respondetur
hæreticis
uolens.

At forte hæretici respondebunt, Deum iustificare
impium vere, & sine fictione quia potens est con-
donare delictum, & ita non iustificat, ut homo, de-
clarando, non esse factum, vel non esse probatum deli-
ctum, sed iustificat Deus, delictum commissum re-
mittendo, & ita hominem iustum esse declarando. Sed
hæc responsio repugnat in primis alteri errori eorun-
dem hæreticorum dicentium, peccata non verè tolli
per iustificationem, sed regi, vel plane imputari: nam
si hoc ita est, non potest Deus vere iustificare impium,
etiam declarando illum iustum, vel non peccatorem,
quia non imputari peccatum, non est non habere pec-
catum, imò supponit peccatum in eo, cui non im-
putatur. Deinde etiam illa responsio non sibi con-
stat quoad verbi iustificandi significationem. Nam
si verbum illud solum habet forensam signifi-
cationem, quæ est reum absolvere iudicialiter, nullo mo-
do significat facere id, quod necessarium est, ut iudi-
cium, seu declaratio vera sit, quia non significat (ut
sic dicam) actum condonandi, aut remittendi, sed
tantum iudicandi. Quapropter si semel admittitur,
Deum iustificare non solum declarando, sed etiam
faciendo remissionem culpæ, iam receditur ab il-
la stricta, & forensi significatione verbi, & sicut hæ-
retici dicunt, per illud verbum significari absolutio-
nem à culpa remittendo illam, ita dici posset signifi-
cari declarationem positivæ iustitiæ, conferendo
illam.

24.
Probatum
ultimo.

Vnde argumentor tandem, quia Deus iustificando
peccatorem, non tantum declarat, vel facit illum non
malum, ut sic dicam, sed etiam bonum, ergo quo-
cunque modo verbum iustificandi exponatur, neces-
se est, ut dicat non tantum carentiam mali, sed etiam
positivum effectum bonitatis, ergo gratia iustifica-
tionis, id est, quæ per iustificationem fit, vel declara-
tur, non tantum consistit in absolutione à malo, sed
necesse est, ut aliquo modo conferat positivum do-

num. Primum antecedens, ex quo cætera plane con-
sequuntur, ex Paulo euidenter conuincitur: nam de
iustificatione loquens illa duo frequenter coniungit
vel eisdem verbis, vel æquivalentibus, interdu-
m propriis interdum metaphoris. Satis tamen as-
pertis, 1. Corinth. 6. Hæc quidam fuistis, sed abluti estis,
sed sanctificati estis, sed iustificati estis. Certe licet verbum,
ablundi, de remissione peccati exponatur, de verbo
sanctificandi negari non potest, quin significet facere
sanctum, ac proinde bonum, quomodo enim erit
sanctus, nisi sit bonus? Vtrumque ergo sub iustifica-
tione concludit, cum addit. Sed iustificati estis. Et eo-
dem modo ad Ephes. 5. dicit Christum se ipsum pro
Ecclesia tradidisse, ut illam sanctificaret, mundans lavi-
cro aquæ in Verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam
non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed
ut sit sancta, & immaculata, ergo dum Christus per la-
uacrum iustificat Ecclesiam non solum illam mundat
à maculis peccatorum, sed illi etiam sanctitatem, &
bonitatem impertit, vtrumque ergo sit per veram ius-
tificationem.

Et hoc ipsum his verbis expressit ad Roma. 6. Qui-
cunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptiza-
ti sumus: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in eum
mortem, ut quo modo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris,
ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vnde postea
colligit. Ita & vos exiistimatis mortuos esse peccato, viventes
autem Deo, quia scilicet per baptismum morimur pec-
cato, quia remittitur, & boni efficiamur, quia viuimus
Deo. Vnde etiam ad Romanos. 4. in nostra ius-
tificatione illa duo expresse distinguit, dum de Chri-
sto ait. Traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter
iustificationem nostram, Vbi duo ait fieri in nobis pro-
pter Christum, vnum est remissio peccatorum,
quam specialiter attribuit morti Christi, aliud resti-
tutio ad spirituale vitam, quæ per Christi resur-
rectionem singulari modo repræsentata est, & hoc
posterius expressius significat nomine iustificationis,
quam prius. Vnde in cap. 5. subiungit. Iustificati ergo
ex fide pacem habemus ad Deum, usque ad illud. In se
gloria filiorum Dei in quo aperte significat eum, qui ius-
tificatur, per ipsam iustificationem fieri filium Dei,
ac proinde bonum, & sanctum. Et similiter postea
dicit. Per vnius obedientiam iusti constituuntur multi: ne-
mo autem constituitur iustus, nisi fiat bonus, cum
iustitia integram rectitudinem dicat, ut exposui-
mus. Atque hæc nunc sufficiunt, ut plane constet
iustificationis effectum non in sola carentia mali, sed
etiam in positiva collatione alicuius boni consistere.
Et hoc etiam frequentissime docent Patres allegan-
di capite sequenti, & præsertim videri potest Augu-
stinus epistol. 105. & 106. & libro tertio contra duas
epistol. Pelag. capit. 4. 7. & sequentibus. Quale au-
tem illud donum sit, in sequentibus capitibus de-
clarandum est, & inde hæc veritas amplius confirmabi-
tur. Ad fundamentum autem hæreticorum supra in-
finuatam satis responsum est, alia vero in sequenti
capite dissoluentur.

C A P V T VII.

Vtrum aliqua gratia homini inherens positium ius-
tificationis effectum ex sua intrinseca na-
tura formaliter ei con-
ferat?

S Vppositis, quæ in superiori capite, & in primo,
Sæcundo diximus, superflua videri potest hæc Ratio
quæstio, tamen ut hæreticis omnibus modis resista-
mus, & singula ex propriis principiis formaliter osten-
damus, necessaria visa est. Cōueniunt ergo hæretici hu-
ius tēporis in neganda intrinseca, nobisq; inherente
formali causa iustificationis, sed hanc causam dicunt
esse aliquā iustitiā extrinsecam nobis imputatam.
In

In explicanda vero sua sententia mire inter se dissentiunt, ita ut quatuordecim à quibusdam, aut viginti opiniones illorum de hac causa formali iustificationis referantur. Duo vero capita sunt præcipua, nam quidam dixerunt, iustitiam extrinsecam, quæ iustificatur, esse in creatura iustitiam Dei, alij esse iustitiam Christi: & in explicanda ratione, sub qua illa iustitia Christi, est iustitia nostra, multiplicatur se- & hæreticorum: sed illa varietas illorum errorem, & inconstantiam ostendit, eam vero referre, molestum esset, & inutile, quia eisdem feret testimonijs v-
tuntur omnes, & eodem fere modo impugnâdi sunt.

Quia vero illa iustitia Dei, vel Christi non omnes facit iustos, ideo coguntur hæretici aliquid postulare ex parte hominis iustificati, vt illi imputetur illa extrinseca iustitia, & conueniunt omnes illud esse fo-
lam fidem non quamcumque, neque fidem dogma-
tum, nec vniuersalem, sed fidem quandam particularem, quæ homo, vt sit iustus, credere debet firmiter, & sine formidine sibi esse imputatam iustitiam Dei, aut Christi. Et hanc fidem aliqui interdum vocant causam formalem, sed alij magis consequenter in suo errore loquentes, ne formalem causam inherenter iustificationis admittere videantur, fidem vocant approximationem, & quasi manum, quæ apprehendimus iustitiam. Sed de peculiari errore huius solitariæ fidei dicam libro sequenti, nunc de errore circa formalem causam dicendum est. Ad hunc ergo errorem ex parte videntur accessisse quidam catholici, qui, licet inherenter iustitiam admittant, nihilominus dicunt, illam per se non sufficere nos facere simpliciter iustos, nisi cum iustitia Christi coniungatur, quæ nobis extrinsecus imputetur. Quam sententiam saltem in modo loquendi sequitur Albertus Pighi controuerf. 2. & Antididagma Colonienf. Vnde hi auctores videntur ponere formalem causam iustificationis extrinsecam, saltem partialiter, magis vero id sentiunt de iustificatione quoad effectum expellendi peccatum, quam quoad positium effectum renouandi hominem, & ideo de illo puncto postea dicemus.

Fundamentis huius erroris tria sunt præcipua. Primum, quia in Scriptura dicitur Christus nostra iustitia, sanctificatio, & redemptio. 1. ad Corin. 1. & ad Rom. 5. dicitur, *Per obedi-
tionem vnius iusti constituantur multi*, quod ipsi tanquam per causam formalem intelligunt, quia Christi obedientia ita nobis imputata est, ac si esset nostra, & ita nos iustificat. Et sic etiam intelligunt illud Ephes. 4. *Induite nouum hominem*, (i. Christum) *qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis*. Secundum fundamentum est, quia hæc iustitia, quæ hominem constituat iustum coram Deo, debet esse pura, & immaculata, talis autem est iustitia Dei, & Christi, non autem iustitia nostra, quæ Isaia 64. dicitur esse, *sicut pannus menstruatus*. propter quod dicebat David Psal. 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, & Iob 4. 9. & 25. *Non iustificabitur homo composuit Deo*; ergo iustitia, quæ constituit hominem iustum coram Deo, non potest esse iustitia hominis, quæ in ipso sit, sed iustitia Dei, vel saltem Christi, quæ illi imputetur mediante fide, iuxta illud ad Roman. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, hanc enim volunt esse vim illius verbi, *reputatum est*, quia Deus acceptauit, & imputauit Abraham Christi iustitiam mediante fide. Tercio, quia iniuriam facimus Christo, & eius redemptioni, si aliam iustitiam nobis tribuamus, præter ipsius Christi iustitiam, ideo enim Paulus ad Rom. 10. reprehendit eos, qui suam iustitiam volentes statuere, iustitiam Dei non sunt subiecti, & ideo dicit ad Philip. 3. *Vt inueniat in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi leui*.

Nihilominus veritas Catholica est, hominem coram Deo vere iustum coram Deo per gratiam illi infusam, eique inherenter. Hanc veritatem contra hæ-

reticos probant latè moderni Scriptores, præsertim Bellarm. libr. 2. de iustificat. per omnia fere capita, & Ruard. art. 3. contra Lutherum. Stapleton. libro 5. de iustificat. cum Prolegomenis. Ofsius in Confess. cathol. capit. 70. & sequenti. Sotus libro 2. de Natur. & Grat. cap. 19. Vega lib. 7. in Trident. cap. 11. & alij. Nos vero ad illam ex Scriptura probandam in primis vt possumus omnibus locis, quibus superiori libro probauimus infundi nobis inherenter gratiam; vt est illud Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, & similia. Item probari potest illis testimonijs, quibus in præcedentibus capitibus probatum est, nobis dari participationem diuinæ naturæ 2. Petr. 1. per quam accipimus spiritum adoptionis Roman. 8. Et vt filij denominemur, & simus. 1. Ioann. 3. Item probari potest illis locis, in quibus dicuntur, *in se renouari spiritu mentis sui*, Et ad Ephes. 4. & induere arma lucis Rom. 13. & vngi, ac signari 2. Corin. 1.

Hæc vero, & similia testimonia effugiunt quidam ex hæreticis dicentes, illis ad summum probari, dari hominibus aliqua dona, non tamen, quod per illa iustificentur, nec quod illorum infusio ad formalem actionem, vel causam iustificationis pertineat. Sed hoc gratis, & contra omnem rationem, satisque inconstanter ab eis dicitur. Nam in primis cum in momento, in quo homo iustificatur, duo gratiæ beneficia à Deo accipiat (si tamen duo dicenda sunt, & non potius vnum, quod postea videbimus) scilicet, remissionem peccatorum, & donorum gratiæ infusionem, quo fundamento, vel qua fronte dicere possunt, infusionem donorum ad propriam iustificationem non pertinere, sed solam remissionem peccatorum, cum vtraque sit magna gratia, & ad placendum Deo, & ad hominem simpliciter constituendum, vel pronuntiandum iustum, necessaria sit. Deinde ostensum est in capite præcedenti, *iustificare aliquem*, in usu Scripturæ, & vbi de iustificatione hominis apud Deum agitur, vel semper (vt aliqui putant) vel saltem frequentius (vt euidentius conuincitur) de iustitia esse, quod, *iustum facere*, sed non fit homo iustus, nisi iustitia receptione; ergo iustificatio, vt est mutatio quædam, respicit iustitiam, vt terminum ad quem, & vt significat effectum formalem, dicit effectum positium bonum & intrinsecum, & non solam exclusionem mali, vt ex ipso verbo faciendi iustum manifestum est, significat enim mutationem positium, non mere priuatiuum. Est igitur contra omnem rationem excludere à ratione formali, & propria iustificationis effectum illum faciendi hominem bonum simpliciter, ac supernaturaliter coram Deo, sicut in Philosophia est contra omnem rationem, habitudinem ad terminum ad quem à propria mutatione positia excludere. Quapropter non loquuntur consequenter, qui admittendo infusionem donorum supernaturalium in homine, cui Deus peccatum remittit, negant illam ad propriam iustificationem pertinere, seu negant (quod perinde est) per talia dona iustificationem fieri.

Veruntamen hoc ipsum ex Scriptura conuinci potest, non enim solum affirmat, hæc dona nobis infundi, sed etiā affirmat, per illa nos iustificari, vel ipsam talium donorum infusionem iustificationem appellando, vel æqualiter illis donis tribuendo iustificationem, ac sanctificationem, vel gratificationem, vel adoptionem, quæ supra ostendimus, per dona inherenter fieri. Hoc plane conuincitur ex Paulo in Epist. ad Rom. c. 3. *Iustificati grati per gratiam ipsius*: nam quod illa gratia non sit extrinseca tantum beneuolentia Dei, sed interna perfectio, in superioribus satis ostensum est, & ex sequentibus locis eiusdem epistolæ fit manifestum. Igitur in ca. 4. dum in fine capituli dicit, *Christum traditum esse propter delicta nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostram*, satis significat iustificationem non solum tollere peccatum, sed etiam dare vitam spirituale, quæ certe non datur, nisi

per inhereantem formam gratiæ. Vnde cap. 5. Explicans iustificationem à peccato per Christum ait. *Sed enim vnus delicti multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit, vbi euidenter constat, loqui de gratia nobis infusa, tum ex antithesi ad peccatum Adæ, tum quia non dicit, gratiam Christi nobis imputari, sed gratiam Dei, & donum ex gratia Christi in nos abundare, id est, cum abundantia deriuari, & tamen Paulus inferius subdit, Gratia autem ex multis delictis in iustificationem, ac si aperte diceret gratiam infundi, vt per eam iustificemur. Quod euidentius declarat, dum subiungit. Si enim vnus delicti mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabit per vnum Iesum Christum. Vbi verba, donationis, & accipientes, euidenter ostendunt, sermonem esse de gratia in homine recepta, quam etiam, iustitiam, appellat, quia per eam iustificamur, & nihilominus per Christum, tanquam per causam meritariam, sicut per vnum hominem, tanquam per causam efficientem, peccatum intravit in mundum. Vnde August. lib. de Peccator. merit. & remiss. ca. 9. colligit, quod, sicut Adam occulta tabe carnalis concupiscentiæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes, ita Christus, datus spiritus oculis fideliū gratiam, quam largenter infundit, & parauit. De qua gratia ibidem ait, Illuminationem, iustificationemq. nostrā intrinsecus operatur.*

7.
Apostolico.

Monet deinde Paulus cap. 6. eiusdem epistolæ, nos esse conscriptos cum Christo per baptismum, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vite ambulemus. Vnde infra concludit. ita & vos existimate, vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Ergo sicut in Christo fuit vera mors, & vera resurrectio, ita in nostra iustificatione vere morimur peccato per abolitionem eius, & vere viuimus Deo per internam iustificationem. Sicut enim colligit Augustinus in Enchir. cap. 52. ex illo loco, quod sicut in Christo fuit vera resurrectio, ita in nobis est vera iustificatio. Et de Spir. & liter. c. 6. in fine sic ait. Nempè satis claret (vtiq. ex verbis Pauli) mysterio Dominica mortis, & resurrectionis figuratum vite nostre veteris occasum, & exortum nouæ, demonstratamque iniquitatis abolitionem, renouationemque iustitiæ. Quod optime confirmant eiusdem Pauli verba c. 8. eiusdem Epistolæ. Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero viuus propter iustificationem. Ergo teste Paulo per iustificationem homini tribuitur vita spiritus, hæc autem vita non est, nisi, per inhabitantem spiritum eius in nobis, vt ibidem dicit, ergo eadem gratia, per quam spiritus Sanctus in nobis habitat, est iustitia, per quam iustificamur. Simili enim argumento supra probauimus, eandem gratiam, per quam spiritus Sanctus in nobis habitat, esse formam, per quam filij Dei constituimur. eadem ergo est, per quam iustificamur: nam eidem tribuit Paulus iustificationem. Vnde Augustinus tractans hunc locum libro 1. de Peccator. merit. c. 7. inquit, Corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obstrictum est, sed iam spiritum cap. se viuere propter iustitiam fidei, qui & ipse in homine fuerat quadam morte infidelitatis extinctus. Et infra. In corpore propter peccatū mortuoziam propter iustitiam spiritus viuus: ergo iustificatio, id est, iustitiæ collatio, est per quam spiritus viuus, ac subinde eadem est forma, per quam spiritus hominis viuus, & resurgit à morte peccati, & per quam iustificatur. Vnde paulo inferius ait Paulus de Prædestinationis. Qui prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos iustificauit, & quos iustificauit, hos & glorificauit, vbi sub verbo, iustificauit, includit non solum peccatorum remissionem, sed etiam sanctificationem, gratificationem, & adoptionem, quia post vocationem necesse est, vt homo fiat gratus Deo, & adoptetur in filiū, prius quam glorificetur, ergo intellexit Paulus, per iustificationem hæc omnia homini conferri, ac subinde per eandem gratiam, qua homo in filium Dei adoptatur, iustificari.

Ex alijs præterea locis idem confirmatur: nam 1. Corinth. 6. ait Paulus. Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis, per quæ omnia verba effectum formalem integram iustificationis declarat quem duo illa includere docet, abluitionem, scilicet, à peccatis, & sanctificationem, seu renouationem animæ, vtrique Patres exponunt. Et ideo ad Tit. 3. baptismum vocat, lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus Sancti, quem effundit in nos abunde per Iesum Christum Dominum nostrum, & concludit. Vt iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vite æternæ. Vbi euidenter docet, per illam regenerationem nos renouari, & iustificari illa gratia, qua filij Dei, & heredes vite æternæ constituimur: & totum hoc esse per Christum, non formaliter, seu imputatiue, sed efficiendo in nobis donum, per quod spiritum sanctum in nobis abunde effundit. Præterea ad Galat. 3. ait. Si data esset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia: quæ illatio in hoc fundatur, quod ipsa iustitia est forma, quæ interius hominem viuificat. Est etiam optimus locus 2. Corinth. 3. Epistola estis Christi manifestata per nos scripta non atramento sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quæ verba exponens Augustinus libro de Spirit. & liter. cap. 17. ait. Ecce quem admodum ostendit, quia illud extra hominem scribitur, vt eum forinsecus terrificet, hoc in ipso homine vt ipsum intrinsecus iustificet.

Hæc Scripturæ testimonia, vt à nobis exposita sunt, ita fuisse à Patribus intellecta confirmant ea, quæ in primo capite libri præcedentis ad probandum, in fundi iustis gratiam inhereantem, & permanentem, adduximus. In quibus specialiter notari possunt verba illa Chrysostomi Homilia ad Neophit. vbi expresse docet, gratiæ baptismi non in sola remissione peccatorum consistere, sed etiam in donorum infusione, quæ numerando ait, Vt eis addatur sanctitas, iustitia ad optio, numerando autem, iustitiam, euidenter docet, illam sanctificationem esse etiam in iustificatione per iustitiam inhereantem, tanquam per formam. Verba item Ambrosij ibi citata ex libr. 6. Hexamer. c. 8. sunt de iustitia expressa, ait enim, dubitari non posse, quin iustificatio secundum animam, non secundum corpus fiat: Cum iustitia inquit vnde iustificatio deriuata est, menti sit vtique, non corpori. Docet ergo iustificari non esse reputari, aut declarari, sed fieri iustū, & formam iustificationis esse iustitiam animi, per quam animus pingitur, vt ibidem subdit, ac proinde inhereantem illi. Sunt etiam optima verba Ambrosij lib. de Iniriand. c. 7. vbi ad baptizatos ait. Accipitis vestimenta candida, vt sit indicium, quod exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentia casta velamina, plus est cerere, innocentia quam iustitia. Vnde sentit Ambrosius. exui peccata, induendo gratiam seu iustitiam.

Idem significat Hieronymus. Isai. 26. circa illa verba, Morientes non viuunt, vel iuxta septuaginta, Mortui enim vitam non videbunt, quæ in sensu composito exponit, & ait. Qui iniquitate mortuus est, atque peccatis, antequam viuificetur iustitia, atque virtutibus per eum, qui dicit, ego sum vita, viuere non poterit. Vbi plane sentit, hominem non liberari à morte peccati, nisi per vitam, quam iustitia confert, & obiter exponit illud: Ego sum vita, causaliter, ego sum causa vitæ, infundendo iustitiam. Eandem veritatē eleganti similitudine declarauit Chrysostomus Homil. 1. ad Ephes. 1. expendens enim verba illa. Gratificauit nos in dilecto filio suo, exponit id est, gratos fecit, & subiungit. Hoc est. Non solum liberauit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim si quis accepta quampiam scabiosum, & peste, ac morbo, senioque & paupertate, ac fame confectum, & perditum. Statim formosum fecerit inueniem, omnes homines pulchritudine vincentem, e genis quidem splendorem valde emittentem, & micantium oculorum eiaculationibus fulgorem occultantem. Deinde eum constituit in ipso flore acatis, & postea eum purpuræ induerit, & diademata imposuerit, & omni ornatu ornauit ita nostram instruxit & ornatu animam, pulchramque fecit, desiderabilem, & amabilem. Cupiunt enim Angeli talem afficere animam, Archang.

Archangeli, omnes sancti. Ita nos etiam feci gratissimos, & sibi desiderabiles. Concupiscet enim, inquit, Rex tuam pulchritudinem.

Præterea est optimus locus Cyrilli Alexand. lib. 4. in Ilat. orat. 2. ubi ait formari Christum in nobis per sanctificationem, & iustitiam, à Spiritu sancto inditam, vribiliter. Est autem non minus illustis locus eiusdem Cyrilli lib. 11. in Ioan. c. 25. ubi prius de Adam ait, Non ab ipso, sanctificatione Spiritus animam ei datam, nec à divina natura penitus destitutam. Nunquam enim (ait) ad supreme naturæ imaginem humilitas nostra confunderetur, nisi à Spiritu, voluntate videlicet Patris, pulchre conformaretur, postea vero ait, Hoc primum nostre naturæ donum renouatum in nobis esse per Christum, & inter alia dicit, Reductio generis nostri ad Deum, non aliter per Saluatorem Christum facta est, quam participatione, atque sanctificatione Spiritus, cuius participes facti, supreme naturæ participes reddimur. Et infra, Reformantes nos ad iustitiam, ad sanctificationem, & ad imaginem primam, nam si peccatum à Deo separatur, iustitia certe coniungitur. Et hoc modo ait, nos iustificari per fidem, citatis verba Pauli ad Rom. 3. & in fine concludit, Christum propter nos sanctificatum fuisse, ut ab eo ad nos iustificatione redundante, ipso sanctificemur in veritate. Nihil certe clarius contra hereticos huius temporis dici poterat. Legendus etiam lib. 12. Theauri cap. 3. in fine.

Eandem veritatem luculentissimè tradit Aug. in locis proxime citatis de Spirit. & liter. ca. 9. 11. 16. & sequentibus, & lib. 3. cont. duas Epist. Pelag. c. 7. & 9. & lib. 1. de Peccat. merit. c. 7. 9. 15. & alijs in præcedenti c. allegatis, verbum iustitia audi, & nomen iustificationis explicando. Quibus potest addi quod in concion. 26. in Psal. 118, exponendo verba illa, Feci iudicium, & iustitiam, dicit, nomen iustitiæ hoc loco non ipsa virtus, sed opus eius significatum est, & addit, Quis facit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium, hoc est per gratiam suam ex impio facit iustum, unde ait Apostolus iustificari gratia per gratiam ipsius. ad Rom. 3. ubi aperte docet, Deum iustificare hominem, faciendo in illo iustitiam, quam facit gratis in fundendo gratiam, quæ utique non est aliud ab ipsa iustitia. Vnde lib. 6. de Genes. ad lit. c. 24. Quomodo (ait) renouari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo. Et infra, Recipimus iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Sic ergo iustificamur. Denique in lib. de Grat. Christi c. 47. ait, veram gratiam Dei, quæ per Dominum nostrum Iesum Christum nobis datur, esse illam, in qua nos iustos, non nostra iustitia iustos facit, ut ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est. Est et optimus locus Ambrosij lib. de Poenit. c. 2. quem commendat Aug. lib. 2. contra Iulian. c. 3. & c. 5. refert aliud testimonium Ambrosij ex lib. de Sacrament. regenerat. & c. 8. citat alium ex Ambrosij lib. 1. in Ilat. Ex quibus omnibus constat ex mente horum Patrum, in nobis esse veram iustitiam, non nostram quasi à nobis, veretamen nostram, quasi in nobis à Deo per Christum factam: hæc ergo est, quæ nos formaliter iustos facit.

Quibus omnibus recte perpenfis, merito Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. dehnuit, vnicam formalem causam nostræ iustificationis esse iustitiam Dei, non quæ ipse iustus est, sed quæ nos iustos facit, quæ videlicet ab eo donatur, renouamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes vniuersi, suam, &c. & canon. 11. non solum sub anathemate dehnit, nobis infundi gratiam, & charitatem nobis inherentem, sed etiam damnat dicentes, per hanc gratiam nos non iustificari, sed per imputationem Christi iustitiam, vel solum peccatorum remissionem. Et eodem sensu, sess. 5. can. 5. definierat, eos, qui baptizantur in Christo, veterem hominem exuentes, & nouum qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, ac Deo dilectos fieri. Consonat huic veritati Concilium Mileu. c. 3. damnans Pelagianos dicentes, gratiam Dei, in qua iustificamur, ad solum peccatorum remissionem valere. Quod repetitur, & probatur in

Epist. 1. Celestini Papæ, c. 8. & ideo (quod notandum est) gratia Christi dicitur, scilicet, quæ iustificamur. Ex quibus omnibus facile possumus hanc catholicam veritatem rationibus declarare, ac confirmare.

Prima ratio sit, quia per iustificationem non tantum fit homo non malus, seu non peccator, sed et fit bonus, Ratione & iustus, sed homo non fit bonus, & iustus per extrinsecam denominationem, nec per imputationem alienæ, & extrinsecæ iustitiæ, ergo necesse est iustitia illa per quam homo iustificatur ut sit forma intrinsece inherens, & efficiens, ac informans hominem. Consequentia est euident, & Maior in cap. præced. ex Scripturis probata est. Minor autem ita videtur ex terminis per se notata, & euident, ut nec ab ethnicis negata sit, quia in presenti non dicitur homo bonus, nisi in ordine ad mores, & humanas actiones, in quibus aequitatem seruat, vel ad illas bene, & laudabiliter efficiendas bene est affectus, ac dispositus, & in hoc eodem sensu iustus appellatur, sic enim nemo est bonus, & iustus ex alienis actibus, aut virtutibus sibi imputatis, sed ex his, quibus affectus est. Vnde etiam Aristoteles 1. Ethicor. c. 12. dixit, iustum, & bonum omnino virtutem, atque virtutem ob opera laudamus, & actiones, & à simili id declarat, nam robustum idoneumque ad cursum vocamus aliquem, quod affectus est aliqua qualitate, & ad bonum aliquid, studio iungitur, refertur. Et addit inferius, ad hunc modum laudabilem esse iustitiam, eamque à fecilitate distinguit, quæ potius honorabilis est, quam laudabilis. Et similiter lib. 5. c. 1. dicit, ex communi omnium sensu, iustitiam esse habitum, quo homines apti sunt ad res iustas agendas, & quo iuste agunt, & volunt iusta: talem autem habitum inherentem homini esse debere, euidentissimum est.

Dicent fortasse heretici, Philosophos locutos fuisse de iustitia humana, quæ non habet laudem apud Deum, sed apud homines, apud Deum autem, ut hic loquimur, non posse hominem in hac vita esse iustum, hoc modo, quia nihil in se habere potest, per quod in iudicio Dei iustus pronunciari possit, quia quicquid renouationis in se accipere videatur, imperfectum est, & immundum per carnem. At n. si hoc verum est, nullo modo poterunt homines pronunciari vere iusti apud Deum, quia interna iustitia caret, ut aiunt, & externa seu aliena [ut conuincit argumentum factum] mihi imputata nunquam potest me facere iustum, aut mundum, si in me iustitiam, aut munditiam non habeo, sed ad summum facere potest, ut non puniatur, vel odio habeatur propter meam iustitiam, vel immunditiam. Possunt vero heretici subterfugere dicentes, cum homo iustificari dicitur apud Deum, non pronunciari iustum in eo sensu morali, quo iustus est bene dispositus, & ordinatus ad equum, & bonum, sed eo modo, quo in forensi iudicio dicitur habere iustitiam, qui suam causam, vel excusationem recte probauit, & ideo absoluedus dicatur. Sic enim peccator, aiunt, licet in se non habeat veram iustitiam, tamen per fidem apprehendens & quasi applicans sibi Christi merita, illis indutus, & tectus, ac protectus, iustitiam habere censetur in causa suorum delictorum, & ideo pronunciatur vere iustus, hoc est dignus absolutione, & remissione peccatorum, non in se, sed in Christo.

Sed hoc figmentum refutatur ex Scripturis: nam cum loquitur de iustis hominibus, non ficto modo, sed morali, & vero illos vocat iustos, qui recte viuunt, & præcepta obseruant, & iustitiam, quæ in his operibus exercetur, & relucet, declarant esse illam per quam homines à Deo iustificantur. Primum de appellatione iustorum ostendi posset fere toto discursu Scripturæ, pauca vero exemplum ex veteri testamento nobis sufficient. Nam de Abel ait Paul. ad Heb. 11. Testimonium consequutus est, esse iustum, non propter imputationem, sed propter fidei, & iustitiæ opera. Testimonium, inquit, perhibente muneribus eius Deo: Noe item Genes. 6. & 7. propter fidem recte operantem iustus dicitur, Et iustitia, inquit Paulus supra, quæ per fidem est, hæres est instituta. Idemque est

15. Ratione probatur tradita doctrina.

16. Euasio habetur, conuincitur.

Subterfugium aliud.

17. Ex Scriptura refutatur.

11. Optimus locus Cyrilli.

12. S. Augustinus idem agit.

Augustinus ex Ambrosio.

14. Definitio.

de alijs, quos tanquam iustos ibi Paul. recenset, quauis non eo nomine illos appellet. Similes vero sunt, quos sub eodem nomine numerat sapiens in 10. c. Sapient. De quibus etiam Prouerb. 4. generatim dicitur, *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Et in Psalmis plura sunt similia, quæ supra retigi, & Matth. 1. de Ioseph dicitur. *Cum esset iustus, & nollet eam traducere, ubi est euidentis appellari iustum, quia in se, & in suis moribus iustus erat: nam inde proueniebat, ut nollet sponsam traducere, & similiter Luc. 1. cum de Zacharia, & Elizabeth dixisset, cum essent iusti ante Deum eorum iustitiam declarat, adiungens Incedetes in omnibus mandatis, & iustificationibus sine querela.* Et similiter capit. 23. Ioseph ab Arimathæa dicitur vir bonus, & iustus ob virtutem, qua & non cõfesserat actibus Iudeorum, & expectabat regnum Dei, Christusque discipulus erat, ut ab alijs Euangelistis dicitur. Et generaliter Ioann. 1. cano. cap. 3. ex operibus iustitiæ quasi describit iustum dicens. *Qui facit iustitiam iustus est, id est, qui facit opera iustitiæ, ut in simili ex Augustino supra retulimus, ac si dicemus, qui facit opera vitæ, viuus est; iustus ergo non dicitur quis, quia ex operibus alterius, tanquam iustus reputatur, sed quia iustitiam habet, per quam iustitiæ opera facit.*

18. *Effectus finis, quæ iustitia ex Apostolo liquet.*

Vnde Paulus quoties de iustificatione loquitur, illam declarat habitudinem ad opera sanctitatis, & virtutis Roman. 7. *Deponite secundum pristinam conuersationem veterem hominem, & induite nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Ecce quod tendit iustificatio, nimirum ad vitæ sanctitatem, & hæc est vera iustitia, & e conuersio iustitia in vera sanctitate consistit. Et cap. 6. *Quomodo Christus surrexit a mortuis, ita nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quam vitæ nouitatem non aliam, quam honestatem, & sanctitatem vitæ intelligit, quam statim iustitiam vocat dicens. *Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* Et cap. 8. *Nihil damnationis estis, qui sunt in Christo Iesu, id est iustificatis, quos scilicet describit. Qui non secundum carnem ambulant.* Ad hoc ergo datur iustitia, & hic est effectus eius, & ideo subiungit, *venisse Christum, ut iustificatio legis impleatur in nobis, qui non secundum carnem ambulam, sed secundum spiritum, quod fere per totum illud caput profequitur.* Idemque ex alijs testimonijs, quæ pro catholica veritate adduximus, colligi potest: & optime explicat Cyrill. in dicto libr. 11. in Ioan. c. 25. & Augustinus, ubique pro Christi gratia contra Pelagianos pugnat, hoc maxime contendit, ut talis sit hæc gratia, quæ det vires ad sancte operandum, ac subinde constituat hominem in statu iuste viuendi, & hoc est esse iustitiam internam. Legatur Augustin. toto lib. de Grat. Christi, & toto de Spirit. & liter. & de Natur. & grat. cap. 10. & Epist. 105. & 106. & 122. & sæpe alias.

19. *Probat conclusio altera ratione.*

Secundo possumus directe argumentari, & catholicam veritatem ex alijs principijs fidei iam stabilitis concludere. Nam in superioribus ostensum est, infundi hominibus iustis gratiam inhaerentem tam ætalem, quam habitualementem; sed hæc gratia includit omnia necessaria ad constituendum hominem iustum, ergo illa est intrinseca forma iustificans, seu constituit hominem iustum. Consequentia euidentis est, supposita maiori; quia illa gratia, quæ nobis infunditur, est forma animæ inhaerens: forma autem inhaerens intrinsece, & formaliter constituit subiectum in illo esse, quod ipsa secum necessariò affert. Probatur ergo minor, in primis ex proportionem inter supernaturalem, & naturalem iustitiam (non enim possumus nos melius ea, quæ nostrum captum excedunt, quam per analogiam ad naturalia in his, quæ supernaturalibus non repugnauerint, declarare) in ordine autem morali, ac naturali, iustitia simpliciter, & vniuersalis hominem bene ordinat, & disponit ad omne id, quod æquum est secundum rectam rationem; ergo in spiritibus illa est vera iustitia simpliciter, quæ bene,

& connaturaliter hominem disponit ad bene operandum totum id, quod æquum est secundum lumen fidei. Et fortasse propter hæc causam, inter alias, vocatur iustitia fidei, seu ex fide, nam gratia ita disponit hominem in supernaturali ordine, ut ex dictis de habitibus infusus constat; ergo est vera supernaturalis, & interna forma iustificans.

Et hunc discursum infinuat D. Thomas 1. 2. qu. 113. ar. 1. ubi ex doctrina Aristotelis, eleuando illam, concludit, iustitiam, quæ hominem constituit iustum coram Deo, esse illam, quæ recte ordinat hominem ad Deum, utique ut supernaturalem finem, & in ipso homine, ac potentijs eius rectum virtutis ordinem constituit, inferiores animæ vires superioribus subdendo, quem quidem perfectum ordinem facit in homine gratia illi inhaerens. Nam in primis constituit illum Dei filium adoptiuum, ut ostensum est, deinde recte & perfecte ordinat ad Deum per fidem, spem, & charitatem, quæ etiam in hac vita suo modo perfecta est iuxta illud 1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Et c. 4. *Charitas eius in nobis perfecta est.* Vnde fit, ut recte & ordinat ad proximum, quia charitas Dei non separatur à charitate proximi, ac etiam recte ordinat hominem in se ipso, maxime cum alias etiam virtutes secum afferat, quæ vocari videntur à Paulo, arma lucis, Rom. 13. ergo talis gratia est vera iustitia.

Sed aiunt hæretici, qui aliquam internam renouationem, & sanctificationem inhaerentem admittunt, illam esse tantum inchoatam, imperfectam, & immundam propter concupiscentiam, & ideo non posse vocari iustitiam, quia non sufficit, ut per illam in iudicio Dei possumus consistere, & ab eo iustificari. Veruntamen sub his verbis, plures latent errores, quos in sequentibus impugnaturi sumus. Nunc ergo dicimus breuiter, iustitiam hanc esse inchoatam respectu iustitiæ cõsummate patriæ. Imò et eadem iustitiam, ut primo acquiritur, dici posse inchoatam respectu iustitiæ augmentatæ in discursu vitæ: nihilominus tamen essentialiter esse iustitiam integram, & veram, quia ex vi suæ essentialis operatiuæ est iustitia, & sufficiens ad seruandam legem Dei, etiam quoad dilectionem eius. Et similiter licet possit hæc iustitia dici imperfecta quoad gradum, vel quoad statum, nihilominus est perfecta essentialiter in ordine iustitiæ apud Deum, ut de charitate paulo antea dicebam. Vnde ad Abraham loquitur Deus. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Genes. 17. & Paulus 2. Corinth. 13. omnes fideles exhortatur dicens: *Gaudete, & perfecti estote,* ad Philip. 3. & ratione status se dedit, *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, at ratione gratiæ, ac veræ iustitiæ adiungit ibidem, Quicumque perfecti sumus, hoc iustitiamus, ut late tractat Augustinus lib. 2. de Peccator. merit. capit. 15. & sequentibus, & toto libro de Perfect. iustit.*

Hæc ergo perfectio iustitiæ infusa satis est, ut homo illa indutus possit in diuino iudicio sisti, & verè iustificari, seu iustus iudicari sine fictione, vel alia falsa imputatione, etiam si leues maculæ, vel reatus peccatorum in eo esse possint, quæ absolutam iustitiam non impediunt, ut statim dicturi sumus. Vnde in eo, quod hæretici inhaerentem iustitiam immundam vocant, quæ tamen est in homine carnali, & fomiti concupiscentiæ subiecto, insipientissimè, & ex magno errore loquuntur, tum quia concupiscentia, quæ est in carne, non potest inhaerere gratiæ, quæ est in anima, esto hominè ipsum carnalem, & imperfectum quoad statum constituat. Imò etiam si in eodem subiecto contingat esse formas diuersarum rationum, quarum vna ornet, alia foedet subiectum, nihilominus hæc non maculat illam, neque immundam reddit, aut denominat. Tum etiam, quia ille error procedit ex alijs, nimirum, quod concupiscentia in iustificatis est peccatum, & quod oēs fomitis motus sunt peccata, quæ sunt hæreses damnatæ.

natę, vt postea videbimus. Et ideo non dubitauit Re-
gius Propheta immaculatos vocare iustos seruantes
legem Dei, etiam si concupiscentie fomitem habeat,
Plal. i. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Do-*
mini. Nihil ergo obstat imperfectio subiecti, vel sta-
tus, quominus iustitia nobis inhaerens sit vera iusti-
tia apud Deum, tam perfecta essentialiter, quam fuit
iustitia, quam in Adam perdidimus: illam enim ean-
dem per Christum recuperauimus, & in nobis recipi-
mus vt ex Paulo ad Rom. 5. & ex antithesi inter Adam
& Christum, quam ibi proponit, & ex alijs Scripturę,
& Patrum ostendimus, & statim, soluendo argumenta
hereticorum, aliquid de hoc puncto addemus: & vi-
deri potest Bernard. optime de illo loquens Epistol.
109. in vltima eius parte.

*Iustitia qua
in nobis dicitur
perfecta est,
ac iustitia
status inno-
centie.*

23. Vltimo argumentari possumus ab inconuenienti-
bus, quę ex contrario errore sequuntur. Primum est
Inconueni-
ens spiritum
ex doctrina
hereticorum
unde aliud
sequitur.
de iustificatione infantium, nam illi non erunt capa-
ces iustificationis, quia non possunt Christum per fi-
dem apprehendere. Vnde ad hoc virandum multi ex
dictis hereticis incidunt in aliud incredibile absur-
dum, scilicet, etiam paruulos habere actum fidei,
quo Christi iustitiam apprehendant, quod alibi re-
futandum est, quantum per se satis absurdum ostendatur.
Neque dicere possunt, nec dicunt, applicari
infantibus iustitiam Christi per fidem baptizantis, cum
quia potest esse infidelis, tum etiam quia licet sit fide-
lis, optime potest sine tali actu fidei baptizare. Et ob
easdem rationes non potest illa applicatio tribui fi-
dei parentum, vel aliorum, vel Ecclesię. Præsertim quia
in his omnibus non inuenitur illa specialis fides, quod
talis infans sit vere iustificatus, cum illis reuelatum
non sit, quod sit legitime baptizatus. Vnde tandem
coguntur dicere, applicari paruulis iustitiam Christi
in diuina acceptatione, & per fauorem, seu gratiam
extrinsecam, quam aliqui eorum tribuunt diuinę
tantum electioni, seu predestinationi; alij promissio-
ni Dei, vel institutioni Christi sine alio effectu, qui fi-
at in paruulis. Ex quo (vt alia omitram) sequitur salu-
uari paruulos, & placere Deo sine vlla fide, cõtra Pau-
lum Rom. 5. Item sequitur saluari posse ex vi electio-
nis, vel redemptionis, sine alio medio per quod eis
applicetur: atque hoc argumentum extendi potest ad
iustificationem illorum adultorum, quę per baptis-
mum, vel aliud sacramentum eis confertur eo tem-
pore, quo actu credere non possunt, vt si amentes, vel
dormientes baptizentur, qui antea baptismum pe-
tierant, & contriti non fuerant.

24. Secundum vero absurdum inferri potest, quia se-
quitur, omnes iustificatos esse equales in iustitia, quia
per eandem iustitiam Christi eis imputatam omnes
iusti declarantur. Quo argumento conuicti multi
illorum hereticorum id cõcedunt, & fortasse eo per-
uenerunt, vt etiam Christo illos faciant æquales, vt
refert Ruard. arc. 8. §. *Pro maiori.* Quę magna est blas-
phemia, & de ceteris iustis etiam est hæresis manife-
sta, vt infra lib. 8. & 9. videbimus: possunt tamen re-
spondere primo, omnes iustificatos esse pares quoad
remissionem culpę, in qua ipsi iustificationem ponunt,
non vero quoad sanctificationem per interna dona.
Sed in primis illud etiam prius est magnum absurdum,
cum Scriptura in ipsa iustitia inæqualitatem esse pos-
se aperte doceat, cum monet, vt qui iustus est, iustifi-
cetur adhuc, & similia. Et deinde alterum non dicitur
consequenter, quia si opera hominis non conse-
runt ad iustitiam; ergo nec conferunt, vt homo sit gra-
tior Deo, ac subinde nec sanctior: ergo frustra fingi-
tur inæqualitas in sanctitate magis quam in ipsa ius-
titia. Aliter etiam dicere possunt, licet iustitia Christi
in se vna sit, nihilominus magis, vel minus posse
homini imputari, eo quod apprehensio illius, quę sit
per specialem fidem, seu fiduciam, possit ab vno fieri
cum maiori conatu, quàm ab alio. Verum tamen neq;
hoc potest ab istis consequenter dici, quia secundum
illos hæc fides non est dispositio ad iustitiam, sed con-

*Impugna-
tur aliud
absurdum
hereticorum*

ditio, vel quasi manus (vt supra dicebam) per quam
apprehenditur iustitia Christi; apprehenditur autem
tota quocunque conatu: ergo æque iustificabit om-
nes, & faciet æque immunes ab omni reatu peccati.
Est ergo hæc hereticorum fictio, & Scripturis, & o-
mni rationi contraria.

Ex hac resolutione sequitur primo, iustitiam in-
25. haerentem conferre hunc effectum formalem ex in-
Corolla-
trinseca sua natura per modum physice formę, & rium 1.
qualitatis informantis subiectum. Hoc Corollarium,
& sequentia intelligenda sunt de hoc effectu iustitię. De quo in-
candi, quatenus positium est, quia non considera-
stificationis
mus nunc effectum priuatiuum, seu exclusiuium pec-
effectu co-
cati, vt sæpe dixi, nam de illo postea dicendum sumus. Et
rollaria in-
fic conclusio illata est euidens ex dictis; nam hæc ius-
telligendā.
titia consistit in actionibus pijs, & iustis, vel incon-
uenienti habitudine ad illas exercendas, vtrumque
autem illi conuenit per qualitatem naturę suę æqui-
tatem illam, & iustitię rationem habentem, eamque
homini conferentem: ergo, &c. Probatur minor, quia
sistit sermo de actuali iustitia supra ostensum est, actus
pietatis naturę suę, & secundum suam substantiam
esse actus rectos rectitudine supernaturali, & ordi-
nis diuini. Si vero de habituali iustitia loquamur,
etiam est demonstratū, habitus virtutum infusarum
ex intrinseca sua natura esse proportionatos talibus
actibus, tanquam principia connaturalia illorum, ac
ac proinde optime disponere hominem in illo ordi-
ne diuino ad optis iustitię simpliciter. Vel tandem si
gratiam sanctificantem, quę in animę substantia re-
cipitur, spectemus; quę dici potest quasi radicalis, &
substantialis iustitia, vt infra explicabitur: illa etiam
hoc habet ex intrinseca sua natura, quatenus est sin-
gularis participatio diuinę naturę, inde enim con-
sequenter habet, vt vere physice, & realiter bene dis-
ponat animam per se ipsam ad perficienda iustitię
opera, tanquam principium radicale eorum compa-
ratione potentiarum, & consequenter secum afferre
reliquas virtutes tanquam proximas facultates eius-
dem iustitię operatrices; ergo talis qualitas inhae-
rens ex natura sua habet, quod sit vera iustitia, &
consequenter, quod habentem formaliter iustum
constituat.

Secundo ex eadem resolutione sequitur, hominem
26. iustificari per solam gratiam inhaerentem, tanquam
Secundum
per formam integram, & completam sine imputa-
Corollarium
tione externę iustitię Dei, aut Christi, quę veluti euidens.
partialiter compleat causam formalem iustifica-
tionis cum gratia inhaerente: nam iustitia inhaerens
est integra, & cõpleta causa iustificationis. Hęc illa-
tio est contra illos catholicos, qui ex parte in hæ-
reticorum sententiam inclinant. Est autem il-
latio euidens ex dictis, & conclusio videtur æque
certa, ac principalis assertio hætenus probata; præ-
sertim intellecta quoad positium effectum iustifica-
tionis: nam de exclusionē, seu remissione peccati pōt
esse aliqua dubitatio, infra tractanda. Probatur au-
tem primo ex Concilio Tridentino dicente, iustitiam
inhaerentem esse vnicam formalem causam nostrę ius-
tificationis: nam dicendo, *unicam*, plane excludit cõ-
fortium alterius causę, præsertim extrinsecę, & im-
putatiuę; nam vt illam prorsus excludat alteram, so-
lam, & per se sufficientem formalem causam assignat.
Vnde cum Deo, & Christo causalitates tribuat, quas
in nostrā iustificatione habent, formalem causali-
tatem nullo modo illis tribuit: sentiens proculdu-
bio, iustitiam Dei, aut Christi nullo modo concurre-
re formaliter ad nostram iustificationem. Præterea
Paulus ad Romanos 5. docet nos iustificari, accipien-
tes abundantiam gratię donationis, & iustitię, per charita-
tem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui
datus est nobis. De qua charitate dicit Ioannes i. canon.
cap. 3. & 4. in iustis esse perfectam, eisque conferre, vt
filij Dei nominentur, & sint, ergo talis, ac tanta gratia
animę inhaerens est sufficiens iustificationis for-
ma sine

ma sine consortio extrinsecæ formæ imputatæ. Denique hæc iustitia inherens, vt actualis est, completur omnia iustitiæ, ac pietatis opera apud Deum, vt vero est habitualis, constituit hominem aptum, & idoneum ad omnia talia opera conaturaliter exercenda; ad neutrum autem horum aliquid confert iustitia aliena extrinsecus imputata; ergo, &c.

27. *Instantia.* Sed instant non solum hæretici, sed etiam aliqui catholici supra allegati, quia hæc iustitia sine merito Christi non posset nos iustificare; ergo necesse est, vt merita Christi nobis imputentur, quando nobis infunditur hæc iustitia, vt iustificemur; ergo necessario concurrat iustitia Christi nobis imputata, saltem, vt partialis causa formalis nostræ iustificationis. Vnde aiunt hæretici, eo ipso, quod per Christi meritum iustificamur, necessario consequi, vt per illud idem meritum, tanquam per formalem causam, iustificemur, quod saltem de causa partiali magis apparenter consequi videtur. Quia, vt propter meritum alterius aliquid conferatur mihi, necessarium est, vt tale meritum mihi imputetur, & tanquam meum reputetur, quia ab illo, cuius est, mihi est donatum; ergo necessario tale meritum concurrat ad talem effectum, tanquam extrinsecæ forma imputata. Accedit, qd Christi iustitia etiam est causa exemplaris iustificationis nostræ, iuxta probabilem expositionem verborum Pauli ad Rom. 8. Quos præcursit, & prædestinauit conformes fieri imagini filii sui, vt sit primogenitus in multis fratribus, & 1. ad Corinth. 15. Sicut portavimus imaginem terreni, ita & portemus imaginem celestis. At vero causa exemplaris est formalis extrinsecæ; ergo negari non potest, quin iustitia Christi sit aliqua ex parte extrinsecæ formalis causa nostræ iustificationis.

28. *Dissolvitur prima Instantia pars, duplexque sensus eiusdem proponitur.* Ad priorem partem respondeo in primis in antecedenti assumpto esse posse æquiuocationem, & artificiose esse propositum, cum in rigore, ac proprietate verborum falsitatem contineat. Dupliciter enim intelligi potest, iustitiam infusam non posse nos iustos facere sine merito Christi, vno modo, quia sine tali merito nobis non infunderetur, & in hoc sensu est verissimum, & certissimum antecedens, quia Christus fuit necessaria causa meritoria nostræ iustificationis, & ideo nulli datur forma iustificans nisi propter Christi meritum, ita, vt sine illo, & absque intuitu illius non esset infundenda. Alius sensus est, quod iustitia infusa etiam si nobis data fuisset sine merito Christi, (vt dari potuisset, si Deus de sua potestate absoluta voluisset) sola non sufficeret ad constituendum hominem iustum coram Deo. Et hunc sensum præseferunt verba dicto modo composita, vt legenti facile patebit, & in solo illo sensu potest antecedens illud obiectionem fundare. Ille autem sensus falsus est, vt probant rationes supra factæ, quia hæc iustitia infusa natura sua talis est, talemque effectum habet; ergo siue detur ex meritis, siue absq. illis, animæ infusa, semper eundem positivum effectum in illa habet. Vnde optime potest obiectio in contrarium retorqueri, sumpto principio illi antecedenti contrario: nam illa iustitia faceret hominem iustum, etiam si absque merito Christi infunderetur, ergo est integra forma iustificans absque consortio imputatæ iustitiæ Christi.

29. *Merita Christi imputari nobis explatur, & tunc est dicere applicari.* Ex eodem autem antecedenti in priori, ac vero sensu sumpto nihil potest in contrarium inferri. Solum enim inde inferitur, Christi iustitiam esse causam efficientem, seu meritoriam nostræ iustificationis, non formalem. Vnde distinguendum etiam est consequens primæ consequentiæ. Nam locutio illa, quod merita Christi nobis imputentur, ambigua esse potest. Nam si imputari dicantur, quia propter illa, ac si nostra fuissent, aliquid nobis datur; sic admitti potest, quia tunc illa imputatio non dicit causam formalem; sed meritoriam, quæ ad efficientem reduci-
tur, & ideo potest esse extrinsecæ. Si vero illa merita imputari dicantur, quia reputantur tanquam im-

mediate, & per se nos efficientia, sic falsa est locutio, quia sicut merita Christi non ita nobis applicantur, vel imputantur, vt per se nos reddant bene merentes, vel operantes, ita neque formaliter iustos constituent. Vnde in hoc posteriori sensu neganda est vtræque consequentia, in priori autem sensu concessa prima, negatur secunda, quia illa imputatio (vt exposui) non ad formalem causam, sed ad efficientem pertinet. Et ideo ad tollendam æquiuocationem, præcipue vbi hæretici verbo abutuntur, melius dicemus, merita Christi nobis applicari, seu communicari, vt Concilium Tridentinum loquitur.

Vnde etiam falsissimum est, quod hæretici, ex eo, quod propter meritum Christi iustificamur, necessario sequi affirmant, vt formaliter per iustitiam Christi iustificemur: nullum enim est talis illationis fundamentum, siue de causa formali integra, siue de partiali sit sermo, quia nulla causalitas formalis est cōnexa identice (vt sic dicam) cum efficiente, ita vt principium efficiens vnius effectus eiusdem sit etiam formale; imo ordinariè petunt distinctionem propter oppositionem saltem relatiuam; meritum aut, vel iustitia Christi est causa efficiens, quæ habitudo denotatur, cum dicimus, propter meritum Christi, vel per meritum Christi iustificari. Ergo nullo modo potest inde inferri, quod per Christum iustificemur, ita, vt per meritum Christi, habitudinem causæ formalis denotet. Et reuocatur ideo in illo modo loquendi semper habitudo causæ ad causam meritoriam denotatur, vt euidenter patet Roman. 5. efficiuntur in illa antithesi: Sicut per vnius delictum, ita per vnius obedi-
tionem: nam euidenter est, in Adamo non dicere causam formalem. Vnde in illo etiam exemplo futilis inuenitur illa consequentia; filius Adæ est iniustus propter patrem demeritorie, & effectiue; ergo etiam est iniustus formaliter per patrem; friuola plane illatio: eiusdem autem rationis, & formæ est, quæ fit in Christo: Nec probatio in fine argumenti adiuncta est alicuius momenti, quia, vt iam dixi, merita Christi non donantur nobis, vt formaliter iustificemur, sed vt sint pretium, quo emamus iustitiam, quæ formaliter iustificemur: sicut qui dat alteri pretium, quo emat vestes dicitur vestire illum, non formaliter, sed effectiue moraliter, vt constat.

Ad alteram partem de causa exemplari dato antecedenti, negatur consequentia, si in sensu nostræ questionis procedat: nam causa exemplaris non est vere formalis, quia non applicatur alteri immediate, vt Exemplar per se ipsam tale illud denominet, vnde potius reduci-
citur ad efficientem, quia est veluti forma, per quam efficiens operatur. Quod si exemplar sit extrinsecum, causam efficiens, & non habeat hanc habitudinem ad efficiens, erit per modum finis extrinseci, quatenus efficiens vnum alteri simile efficere intendit, etiam si neutro, tanquam exemplari, vtatur, sed tantum intrinsecæ idæ, sicut Deus ad extra operatur. Ac denique si exemplar dicatur extrinsecæ forma per modum termini, ad cuius similitudinem fit effectus. Sic est æquiuocatio in voce, nam hic non loquimur de forma extrinsecæ in hoc sensu, sed de illa, quæ per solam denominationem extrinsecam aliquem in tali esse constituit, & sic, dato antecedenti in illo sensu, negatur consequentia in sensu, in quo loquimur. Quin potius ex illa causalitate exemplari iustitiæ Christi concludi potest, non habere formalem constitutionem effectus, vt sic dicam: nam exemplar non constituit hoc modo suum effectum, sed inducit in suo genere causæ formam aliquam, per quam effectus ipsum exemplar imitetur, seu illis assimiletur.

Vnde ex eo, quod iustitia Christi est exemplar nostræ iustitiæ, optima inferitur iustitiam nostram esse distinctam, & nobis infusam, vt per eam Christi similes reddamur. Et ita illa loca, in quibus dicuntur iusti fieri tales ad imaginem Christi, vel vt tales sunt, portare Christi imaginem potius persuadent, iustificari homines per propriam formam sibi inheren-

tem, tum quia ita Christus iustus est quoad gratiam creatam, in quo nos illum imitari possumus, tū quia ratio imaginis, vel eius, quod imaginem alterius portare dicitur, postulat in illo formam similem prototypo. Vnde sicut filius Adæ non dicitur portare imaginem patris, nisi quia in se habet & animæ culpam, seu iniustitiam, & corporis mortalitatem in similitudinem prævaricationis Adæ, ita iusti non dicuntur portare imaginem Christi, nisi propter participatam iustitiam eius. Quam proportionem, & comparationem eleganter explicauit Cyrillus lib. i. in Genes. circa finem dicens. In similitudinem prævaricationis Adæ necessario creator omnium suis creaturis succurrendum putauit, radicemque quasi generis secundam molitus est, quæ ad pristinum nos immortalitatem restituat. Vt sicut primi hominis imago impressionem in nobis efficit, adeo vt omnino nos mori oporteat, corruptionisque laqueo capi, ita post eum secundum nostrum principium, id est, Christus, & ad eum per spiritum similitudo immortalitatem nobis imprimeret: & sicut illius contumacia subditos nos supplicis fecit, ita huius obedientia Paternæ benedictionis participes nos reddat. Et infra. Quippe per absurdum est, vt Adam terrenum hominem vim maledictionis veluti quandam hereditatem naturalem ad totum humani genus posse transmittere arbitremur. Emmanuelem vero, qui de celo est, Deusque suapte natura, & nobis similis esse voluit, secundumque Adam factus est, non tantum roborem habuisse existimemus, vt illos, qui eius familiaritatem per fidem adepti sunt, suæ vitæ participes facere possit. Simile argumentum copiose tractat Bernhardus Epist. 109. in vltima eius parte, vbi inter alia dicit. Cur non aliunde iustitia, cum aliunde reatur? An peccatum in semine peccatoris, & non iustitia in Christi sanguine? Et infra. Denique qui factus est nobis, inquit, iustitia a Deo Patre. Quæ ergo mihi iustitia facta est mea non est? Si mea tradita culpa, cur non & mea imputata iustitia. & sane mihi tunc donata, quam imputata. Et cætera, quæ prosequitur. Tandem sic etiam dixit Irenæus lib. 3. cap. 10. in fine spiritum descendisse in Christum, eumque perfectissime vnxisse, vt de abundantia vñctionis eius nos percipientes saluaremur.

Tertio inferitur ex dictis, non posse hominem esse iustum per imputationem extrinsecam iustitiæ, non tantum de lege, & ex natura rei, verum etiam nec de absoluta potentia Dei. Prior pars ex dictis constat, & ex posteriori fiet certior. Probatur ergo altera pars, quia esse iustum non est effectus extrinsecæ denominationis, sed intrinsecæ informationis, ergo impossibile est fieri sine intrinsecâ, & conaturali forma, & per extrinsecam suppleri. Consequenter est euident, & antecedens ex dictis, & ex communi omnium conceptione per se notum videtur, quia esse bene dispositum, & affectum ad conaturaliter operandum, dicit intrinsecam denominationem, id autem significat esse iustum. Item à simili declaratur, quia esse rectum non potest concipi per solam denominationem extrinsecam, & ideo non potest alicui conferri, nisi per formam, vel modum intrinsecum. Idem ergo est de iustitia, quæ in quadam rectitudine, & æquitate consistit. Secundo declaratur in hunc modum, quia non potest aliquis denominari iustus, nisi vel actualiter, vel habitualiter, quia illa membra immediate, & quasi contradictorie opponuntur: nam actualiter iustum vocamus, qui actu iuste operatur, habitualiter autem eum, qui licet actu non operetur, habet vnde iustus denominetur. Neutro autem modo potest illa esse denominatio mere extrinsecâ, aut per solam imputationem, ergo. Minor quoad actuale de nominationem probatur, quia sumitur à propria, & actuali operatione morali, quæ saltem ex parte voluntatis requirit actum immanentem, ac subinde formam interius inhaerentem, & rectam voluntatem formaliter constituentem. Quoad alteram vero partem denominationis iusti habitualiter probatur, quia vel in homine præcessit aliquis actus iustitiæ, vel nullus præcessit. In priori casu non habet talis homo, vnde iustus denominetur, quia à sola po-

pars 3.

tentia non sic denominatur, vt constat, nec ab aliorum existimatione, quia aliorum existimatio non est vera si rei non est conformis, & ideo non potest rem vere denominare talem, sed apparenter, & quoad hoc eadem ratio est de imputatione Dei, si hominem ab antiquo statu non mutat. Et patet ex denominationibus quasi partialibus iustitiæ, nam homo non potest denominari fidelis, si nec habitum fidei habet, nec habuit vnquam actum, & multo minus potest denominari amans, aut penitens, qui nec habitu, nec actu sic fuit affectus, & sic de cæteris: at vero denominatio iusti iuxta declarationem supra datam, est quasi collectiua has omnes complectens, ergo intelligi non potest in homine, qui nec habitum habet, nec iustitiam actu exercuit. Si aut habuit actum, & reliquit habitum, iâ ab habitu, tanquã à forma inhaerente, denominabitur iustus: quod si præcessit actus, & habitum non reliquit, iâ actus ipse est forma inhaerens, quæ potuit aliquam denominationem relinquere, an vero illa sola ad propriam, & absolutam iusti denominationem sufficere possit, in cap. 9. videbimus.

Ex hoc vero ulterius colligitur, solam formam, vel imputationem extrinsecam non posse sufficere etiam de potentia absoluta, ad hominem iustum iustiorum constituendum, sed necessarium esse aliquod augmentum formæ inhaerentis, siue illud augmentum sit intensiuum eiusdem habitus, siue sit extensiuum per multiplicationem actuum, quod postea videbimus. Abstrahendo autem pro nunc ab his duobus modis, illatio est euident ex dictis, tum quia tam intrinsecâ est denominatio comparatiua iustioris, quam absoluta iusti, vt per se patet, tū quia si post præcedentes actus iustitiæ nullus est additus, & habitus in se auctus non est, nulla est facta in tali homine mutatio, vnde posituiue iustior possit appellari: quia nec actualiter, nec habitualiter talis est. Et imputari, vel reputari non satis est, nam in his rebus, quæ ad virtutem, vel vitium in moralibus spectant, denominamur ab eo, quod sumus, non ab eo, quod reputamur: sumus autem tales vel per operationem moralem, vel per conuenientem dispositionem ad illam, quod tam in augmento, quam in absoluta appellatione verum est.

Vltimo inferitur ex dictis, etiam è contrario fieri non posse de absoluta potentia, vt homo habeat infusam iustitiam sibi formaliter inhaerentem, & quod non sit supernaturaliter iustus. Probatur primo inductio ne, quia non potest quis habere habitum, vel actum fidei, & non esse fidelis, sumpta hac voce cum proportionali denominatione: idemque est cum simili partitione accommodata de amante, sperante, & similib. ergo idem est de absoluta denominatione iusti, quæ omnes illas complectitur. Secundo idem probatur, quia impossibile est, à forma inhaerente separari effectum formalem sibi connaturalem, & intrinsecum, sed iustitia infusa habet hunc effectum formalem ex intrinsecâ sua natura; ergo ab illa inhaerente separari non potest. Neque habet hic locum distinctio de effectui primario, aut secundario, nam hic effectus re vera est primarius, vel in illo includitur. Nam si loquamur de iustitia habituali, illa quoad virtutes proxime operatiuas non potest inesse potentiis, quin illas constituat potentes & propensas, ac subinde recte dispositas ad iuste operandum: quoad gratiam vero animi etiam necessario confert similem rectitudinem, quantum ex parte radicalis principii operationum iustarum in homine operante iustitiam desiderari potest; ergo non potest homo habere inhaerentem talium qualitatum concentum, & non esse rectus, & bene affectus circa ista, & hoc est esse iustum. Si autem loquamur de actuali operatione iustitiæ, non potest illa inesse, quin hominem constituat iustum in tali opere, seu iuste operantem. An vero vel vnus actus præsens sufficiat ad denominationem iusti tribuendam, & similiter an ab actibus præteritis immediate sumi possit, postea videbimus; nunc solum dicimus, eo modo, quo actus valet for-

34.
Quartum
Corollarium.

35.
Corollarium
vltimum
non posse
fieri homi-
nem non ius-
tum, si ha-
beat infusam
iustitiam.

Evasio re-
pulsæ.

H

mg-

maliter constituere iustum, non posse talem effectum formalem ab ipso separari. Solum superest difficultas an talis denominatio possit moraliter impediri a peccato permanente in eodem homine, quam difficultatem postea tractabimus.

36.
Prima & superior hæreticorum obiectio alia obiectio repellitur.

Superest, ut fundamenta hæreticorum dissoluamus. Et in primo afferebantur verba, in quibus Christus iustitia nostra appellatur. At obiciunt hæretici, quia etiam ipse dicitur nostra sanctificatio, & tamen ipsi dicunt, hominem non sanctificari per solam imputationem sanctitatis, sed per dona inherencia. Itē dicitur Christus nostra sapientia, quis autem dicat, hominem fieri sapientem per imputationem alienæ sapientiæ, nisi aliquam eius participationem in se recipiat. Item Ioan. 11. dixit Christus. Ego sum resurrectio, & vita, & tamen non resurgent homines, neque vivet in gloria per imputationem resurrectionis, aut vitæ Christi. Item cū David Pla. 70. dicit Deo. Tu es patientia mea, non id dicit, quia per extrinsecam imputationem patientiæ Dei, vel Christi esset patiens, sed quia ab ipso erat patientia eius, ut idem ait Psalm. 61. ita enim vnum locum per alium exponit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. Et simili modo idem Augustinus lib. de Spirit. & lit. c. 9. & sequentibus, & aliis locis supra citatis dicit, nostram iustitiā vocari iustitiam Dei, quia est a Deo, qui gratis eam nobis donat. Ita ergo poterit Deus ipse, vel Christus vocari iustitia nostra, quia ab illo est iustitia nostra, vel quia illa nobis promeruit. Vnde Cyrillus Alexandrin. lib. 1. in Genes. circa finē post verba citata subiungit. Atqui alio quoque modo ei coniuncti sumus, cum eius diuinam naturam per spiritum cū eo communicassemus. In animis enim sanctorum habitat, ut Beatus Ioannes inquit, In hoc sumus, quoniam manet in nobis, quia de Spiritu Sancto dedit nobis, ergo ipse est vita nostra, ipse nostra iustificatio. Et ita eum consequenter exponit modum, quo per obedientiam Christi iusti efficiuntur. Denique Bernard. Serm. 22. in Cantic. c. 10. in eodem causali sensu illa verba Pauli exponit dicens, Sapientia in predicatione iustitia in absolute peccatorum. &c. Et infra. Per iustitiam, quæ ex fide est solus finis peccatorum, gratis iustificans peccatores. Et infra. At vero iustitia tua tanta ubique fragrantia spargitur, ut non solum iustus, verum etiam ipsa dicar iustitia. & iustitia iustificans, tam validus quæ ad iustificandum, quam multus ad ignoscendum. Et infra dicit de Magdalena, cucurrisse in odorem huius iustitiæ Christi, & ita euasisse, iustitiam, & sanctam quam Pharisæus (ait) exprobrarat, nesciens iustitiam, seu sanctitatem Dei esse munus. Et de Petro ait flendo, diluisse culpam, & recuperasse iustitiam. Sic etiam idem Bernard. Serm. de Misera humana de Deo loquens, inter alia dicit, Si iustitiam vis habere, ipse iustitia est. Ex quibus, & ex aliis supra dictis ad cætera testimonia ibi allegata satis responsum est.

37.
Tria corollaria ex-
sponione ad
secundum
argumentū
hæreticorū.

Secundum argumentum hæreticorum fumebatur ex eo, quod nostra iustitia non est pura, de quo iam dictum est, & nunc breuiter tria colligimus. Primum est, si intelligatur, ipsam iustitiam quam Deus nobis præbet secundum se non esse puram, falsum, & hæreticum id esse, quia gratia ipsa nullam habet maculam, sed rectissime ordinat hominem ad Deum, & quantum ex se est, maculas peccatorum excludit, & vincit. Vnde sicut Bernhardus Serm. 22. in Cantic. de Christo ait. Taciturnus peccatrice (scilicet Magdalena) iustus iustitiam impertit, non perdit, nec sordē peccati, quæ illam mundat, se inquinat: ita nos de ipsa gratia, seu iustitia peccatori infusa idem dicimus. Secundum est, si intelligatur, cum hac iustitia posse in homine esse maculam peccati mortalis, falsum, & hæreticum esse, saltem loquendo secundum legem ordinariam Dei, nam in hoc sensu scriptum est. Qui natus est ex Deo non peccat. Tercium est, si intelligatur, cum hac iustitia posse in homine esse maculas leues peccatorum venialium, hoc quidem verum esse, quia non est iustus qui non peccet. Hoc tamen non obstat, quominus illa sit vera iustitia, quia illa maculæ non excludunt diuinā

amicitiam, nec rectum ordinem ad finem vltimum. Et sic dixit Aug. 19. de Ciuit. c. 27. Quamuis nostra iustitia vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius remissione peccatorum consistat, quam perfectione virtutis. Et sic etiam 2. de Peccato. inerr. c. 3. & epist. 54. ad Macedonium inquit, nullum esse iustum in hac vita, qui non sit aliquo modo malus, iuxta verbum Christi. Si vos cum sitis mali, nostri bona dare. Sed tamen (ait Augustinus) illum dicimus bonum, cuius prævalent bona, eumque optimum, qui peccat minimū, ideoque Dominus, quos dicit bonos propter participationem gratiæ diuinæ, eisdem etiam malos dicit propter vitia infirmitatis humane. Sic etiam Bernard. Serm. 5. de Verb. Isa. c. 6. Vidi Dominum, &c. in Calend. Nouemb. circa finem ait Nostra (si qua est) humilis iustitia, recta forsitan sed non pura. Quomodo enim pura iustitia vbi adhuc non potest culpa deesse? Recte proinde videri debet iustitia hominum: si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Et similia habet Serm. 23. in Cant. circa finem.

Et hinc facile respondetur ad loca Scripturæ in illo argumento allata. Nam quod Isaías comparat nostram iustitiam panno menstruato, Bernard. dicto 7a loca. Serm. 5. exponit, dictum esse propter maculam peccatorum venialium, & Serm. 1. de omnibus Sanctis de imperfectione nostræ iustitiæ coram Deo. Nihilominus literalis sensus est, Isaías loqui de iustitiis legalibus, ut Hieronymus exponit, & sentit Cyril. lib. 5. in Isa. tom. 6. vbi maxime id intelligit de iudæis post Christi aduentum seruantibus iustitiam legis. Isaías vero etiam de suo tempore loquitur, vel propter imperfectionem legis, quæ nihil ad perfectionem adducere potuit, vel quia ita populus ille tunc faciebat illas legis iustificationes, ut alias esset innumeris peccatis corruptus. Verba autem David, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens vera sunt, vel quia nullus homo purus est de se omnino innocens apud Deum, vel quia nemo potest se ipsum iustum reddere, nisi Deus ipsum iustificet. Denique verba Iob. Non iustificabitur homo compositus Deo, variis modis exponuntur. Primo quia comparatione diuinæ iustitiæ quasi nihil est creata iustitia, sicut esse creature dicitur quasi non esse comparatione diuinæ esse. Sic. Gregor. 4. Moral. capit. 27. alias 26. Humana iustitia diuina comparata iniustitia est. Secundo exponitur, quia nullus apud Deum ita potest iustificari, ut innocentem se esse demonstret. Sic. Greg. Moral. capit. 21. alias 13. Tercio, & fortasse magis ad litteram, dicitur homo, qui a Deo affligitur, non posse iustificari comparatione Dei, quia non potest conqueri, quod iniuste patiatur, nec Deo attribui, quod iniustitiam faciat ipsum affligendo vel affligi permittendo. Et ita in nullo sensu illa verba ad præsentem causam quicquam faciunt.

Tandem ad locum ad Roman. 4. Credidit, &c. Respondetur in primis, non posse hæreticos vti illo testimonio, tum quia non loquitur Paulus de fide specialiter propriæ iustitiæ, sed de fide dogmatum, quæ credimus Deo dicenti, de hac enim euidenter est scriptum Genes. 15. quem locum Paulus allegat, tum quia non loquitur de nuda fide, sed de fide, quæ per charitatem operatur, ut idem Apostolus ad Galatas 5. explicuit. Deinde dicimus, illo modo, quo illa fides reputata est ad iustitiam, non falso, sed vere reputatam esse, quia illa fides talem rectitudinem, seu honestatem in Abrahamo posuit, illique inherenter, ut ratione illius ad iustitiam reputata illi fuerit. Denique addimus, Paulum non dicere, illam fidem reputatam esse tanquam formam iustificantem, quia neque ipsi hæretici admittunt, fidem esse formam iustificantem, alias iam concederent inherenter iustitiam formaliter iustificantem. Dicimus ergo, illam fidem Abrahamæ reputatam esse ad iustitiam, id est, acceptatam esse, vel per modum dispositionis, vel per modum meriti de congruo ad iustitiam, non imputatiuam, sed veram, id est, ad impetrandam a Deo per CHRISTVM veram iustitiam, qua non tantum

nomine, sed rei veritate, & nominaretur, & esset iustus. Sed de verbo, reputandi, plura in capite decimo dicemus.

Ad tertium respondetur, per iustitiam nobis inherere non minui, sed augeri Christi gloria: nam sicut in aliis operibus Dei non pertinet ad perfectionem Dei, quod per se ipsum formaliter perficiat, vel det esse creaturis, sed ut efficiendo communicet illis participationem sui esse; ita in ordine gratiæ, & redemptionis pertinet maxime ad gloriam Christi, ut ab ipso, & ab eius meritis, & iustitia, sit omnis nostra iustitia: non vero spectat ad honorem eius, quod ipse sit nostra formalis iustitia: non quia esse formam non est perfectio simpliciter, tum etiam quia illo modo nostra iustitia non esset vera, & realis, sed nominata tantum. Nec testimonia Scripturæ, quæ ibi afferuntur, noua responsione indigent. Reprehenduntur enim à Paulo qui de sua iustitia præsumunt, id est, de illa, quam suis viribus per legis observationem habere se putant, non vero iis, qui in Christo, & de iustitia, quam ab illo se habere confidunt, gloriantur. Et hoc modo distinguit ibi Paulus iustitiam nostram à iustitia Dei, vel Christi, & iustitiam legis à iustitia fidei, ut cum Augustino satis declaratum est.

C A P V T V I I I.

An forma iustificans sit habitus, vel actus, vel uterque simul?

IN præcedenti capite ostensum est, formam iustificationem esse inherentem homini iustificato; verumtamen quia esse formam inherentem tam actibus, quam habitibus gratiæ convenit, videndum superest, quis illorum sit huiusmodi forma. In quo puncto non sunt variae quæstiones confundendæ, sed accurate distinguendæ, ut vniuscuiusque assertionis veritas, & certitudo constare possit. Primo enim hic non tractamus quæstionem, an detur in nobis gratia inherens habitualis præter actualem; hoc enim in lib. 6. actum est. Sed supposita utraque gratia, illas inter se comparamus, in ordine ad effectum iustificationis formaliter conferendum, & cui tribuendæ sint, inquirimus. Nam hæc duæ quæstiones diversæ sunt non solum apud hæreticos, qui admittunt hos habitus, & negant iustificare, sed etiam apud Catholicos, qui licet sentiant esse certum dari hos habitus, non tamen ita certum esse putant, illos esse formam iustificantem, ut videbimus. Et in actibus aperte distinguuntur hæc quæstiones, cur ergo non distinguatur in habitibus? Deinde quia in formali effectu iustificationis duo distinguimus, scilicet, exclusionem culpæ, & internam animæ renovationem positivam, quæ sufficiat constituere hominem simpliciter iustum, ablata culpa: hic de hac sola posteriori parte iustificationis tractamus, dicturi postea de forma peccatum excludente. Denique supposito hoc sensu, tria puncta in titulo includuntur, primum est, an sola gratia habitualis præcise spectata, & sine actu sit sufficiens forma constituens formaliter hominem iustum quoad positivum iustificationis effectum? Est autem sermo de habituali gratia, non pro vno speciali habitu, nec pro collectione omnium, sed simpliciter, & confuse, postea enim aliud tractabitur. Secundum est, verum etiã actu per se sit sufficiens forma iustificans? Tertium, utrum tam actus, quam habitus sit tantum forma partialis, & ex utroque vna integra causa coalescat? Hoc vero tertium, resolutis prioribus, fere cessat, ut videbimus.

In primo puncto aliqui auctores Catholici, licet infusos habitus admittant, dicunt nihilominus, illos non esse causam formalem iustificationis, saltem in adultis. Hæc sententia tribui solet Iansenio Luc. 7. quia dicit, actum dilectionis esse causam formalem iustificationis, & non esse dispositivam, ita intelliges

pars 3.

verba illa, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: putant enim particulam, quia, formalem causam denotare. Ille tamen non negat expresse gratiam habituale esse causam formalem, & ideo eius opinio magis ad secundum punctum pertinet. Idemque censet de opinione aliorum, qui licet gratiæ habitibus causalitatem hanc formalem concedant, negant nihilominus esse necessariam in omnibus iustificatis: nam in adultis, qui per contritionem extra sacramentum iustificantur, putant, actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia esse sufficientem formam iustificantem illos, quantum est ex parte sua: quamvis de facto non audeant absolute asserere, illos formaliter iustificare. Quam opinionem sustinet P. Vazq. 1. 2. d. 203. ut in sequenti puncto, & latius in capite 13. videbimus. Alii denique putant, rem esse incertam, & probabiliter posse hanc formalem causalitatem, tam actibus, quam habitibus tribui. Ita sentit Stapleton. lib. 5. de iustificat. cap. 8. & fundari videtur quia Scripturæ indifferenter loquuntur, quod in discursu capituli expendimus.

Dicendum vero in hoc puncto censet, gratiam habitualem formaliter iustificantem, hominem, & gratum illum constituentem esse formam iustificantem, ita necessariam ad hunc formalem effectum conferendum, ut de facto nullus fiat iustus coram Deo quocunque modo, nisi per huiusmodi formam. Ita docent ex modernis Auctoribus Bellarminus lib. 2. de iustificat. c. 15. & 16. & Vega lib. 7. in Trid. cap. 24. Ille namque nihil distinguit inter illas quæstiones, an dentur habitus infusi, & an formaliter iustificent? Et eodem fere modo sentire videtur Valentia tom. secundo disp. 4. quæst. 3. puncto 4. idem sentit in disp. 8. q. 6. part. 3. Nam licet generatim loquatur de iustitia inherente, in probationibus satis aperte declarat, se loqui de gratia habituali, quæ augeri potest, & dat facultatem recte operandi. Soto etiam in 4. d. prima q. 3. artic. 1. satis post medium §. Sed antequam, pro certo supponit, *Esse ab Ecclesia constitutum, hominem fieri gratum Deo per gratiæ qualitatē*, intelligit autem de habituali gratia, quam causant sacramenta, de qua re ibi disputat, nihilque distinguit inter esse gratum, vel iustum. Magis vero id explicavit libro secundo de Natura, & grat. cap. 18. Eandem sententiam docet Ruardus articulo octavo §. *Manifestum est, iustificationem fieri per infusionem iustitiæ, quæ est qualitas permanens*, nomine enim permanentis qualitatis habitualem plane intelligit, ut in consequentibus, & allegationibus Concilii Tridentini satis declarat. Addit tamen limitationem obsecram, *Vel per modum huiusmodi qualitatē se habent*. Unde non videtur simpliciter consistere esse qualitatem permanentem, sed vel illam, vel aliquid per modum huiusmodi qualitatē, quod fortasse fecit, ut abstineret à nomine *qualitatis*, quia Concilium illo nomine non est usum, sed non est necessaria illa correctio, quia si est entitas realis, & animæ inherens permanentem non potest esse, nisi qualitas, & habitus, ut in lib. 6. declaratum est.

Fuit etiam hæc sententia communis inter antiquos Theologos: nam illi etiam nihil distinxerunt inter reuocationem animi internam, & iustificationem, nec nem superius esse gratum, & sanctum, vel iustum, nec inter formam vnā, vel aliam ex dictis perfectionibus for exprimit maliter tribuentem, & ideo vbicumque docent, hominem esse gratum, per gratiam permanentem, & inherentem ipsi, etiam cum non operatur, eidem formæ attribuant iustificationem. Expresse hoc tradit D. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 7. quatenus ait ad resurgendum à peccato necessarium esse habituale donum gratiæ, quo decor anima restituatur, & macula peccati excludatur. Et expresse in q. 111. art. 2. vbi sic ait. *Habitualis gratia in quantum animam sanat, vel iustificat, vel gratum Deo facit, dicitur operans*, utiq; formaliter, ut in Solut. ad 1. declarat, & latius q. 27. de Verit. art. 5. vbi in corpore dicit, solam gratiam habitualem efficere hominem gratum, & illā

H 2

ab

Opinio. 2.

Opinio. 3.

Resolutio capitis quo ad primum punctum.

Assertio.

D. Thom.